

R. K. 126, 20.

(X202 1058)

Yc
32

PRÆSIDE
M. JO. ANDR. Schmidt
Fac. Philos. ADJUNCTO

RARISSIMA
DVO PHOENOMENA
LVNAMIN CRVCE

VISAM

Jenae
d. XXX. DECEMBR. h. I. p. m. n. clō Iōc LXXX.

ET

METEORVM
IGNITVM

QVOD

d. V. DECEMBR. h. V. p. m. clō Iōc LXXXII.

APPARVIT

eruditorum disquisitioni exponet

OTTO JOH. MICHAEL NEOVIN

Auburgo-Westph.



IENÆ,

LITERIS NISIANIS.



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the name "Johann Christian" and the year "1771".



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the name "Pitter" and the year "1771".





20



Observat. IENÆ 1680. d. 30. Dec.
h. i. p. m. n. Luna existente in z



Horizon Orientalis



D

c

a


d

e

f

Occasus





Ortus

Occasus







F. F.



O ipso tempore, quo non immerito dubitatur, an novarum rerum cupido, quam vulgo curiositatem vocamus, majora incrementa capere possit, summa & ima, coelum & terra, ex æquo certant, eam sibi obnoxiam reddere & hac via ad sublimius aliquod principium manu quasi ducere. Illic terræ desedere motu, crepuere tecta & turrets titubarunt: heic aufugiunt flumina, redeuntque post aliquot horarum spatium: alibi alia notantur insolita, ante hac nec audita nec viâ. Paucis, nec regio, nec urbs, nec vicus aliquis forte deerit in ejusmodi proferendis, si necessum fuerit. Coelum ad cujus contemplationem nati videmur, si aspiciamus, quis notatu dignissimorum cometarum, brevi tempore se insequentium, memoriam exuit? Tres pluresve soles multis in locis simul fuisse visos probe scimus: Globos ignitos coelitus delapsos & magno fragore disruptos audivimus.

Cui data sunt laborum intervalla, is integrum volumen diversorum meteororum hujus & superioris anni facile colligere posset: nulla quippe tempora, si veterum annales in his consignandis seduli curiosique extitere, tot tantaque observarunt, quam ea ipsa quæ nos vidimus. Præterea non sola multitudine se nobis commendant,

accedit & rerum varietas, qua nimium quantum alias delectari solemus, ita ut dubium sit, num superiora tempora unquam tale quid observaverint. Verbis meis aliquam conciliabo fidem, *meteorum ignitum* adhuc *innominatum*, prout à nonnullis visum fuit, oculo tuo, lector benevole, sistens, indagaturus insimul, quantum per virium tenuitatem licebit in ejus causas, quas habuit naturales.

Historia Phænomini ab Excellentissimo nostro POSNERO consignata & publice auditorum calamis mandata sic se habet:

Historia Proximè præteritæ hebdomadis die Martis, qui erat V. currentis Decembr. post horam vespertinam IV. emicabat protinus & ex improvisò, intra medium fere occidentis & meridiei, in aëre, sub signò aquilæ, ignis figurâ stellæ cadentis: descendens ille subsistebat paululum: mox sursum emittens radium lucidissimum longissimum, nec (ex quorundam conjecturâ) minorem ulnis nostratibus XX. intortum tamen (quod cum primis mirabamur) sive convolutum, & quasi figuræ serpentinæ. Pars hujus superior motu obliquò ad occidentem se vertens, minutò sensim fulgore mutabatur in nebulam antiquis dictam, sive nebeculam tenuem & albicantem: quæ nonnihil incurvata evehì videbatur, brevi autem tota disparere. Pars deinde inferior versus plagam meridionalem oblique pariter tracta celerrimè instar emissi jaculi adscendebat, repræsentans lineam latam, quæ tamen obliquè inflexa angulum formabat. Atque hæ quantitatibus in istò lumine figurarum item motuumque variationes visendæ exstabant in aëre, frigidò tunc temporis, subtusque nebulosò, & superius crepusculascente, per integram semihoram. Sicut & easdem viderunt non modò nostrorum


rum

Fig. 1.
N. 1.

N. 2.

N. 3.

N. 4.





rum camporum, verum etiam vicinorum, præcipue autem arcis excelsæ Leichtenburgensis incolæ; ut qui ex superis respicientes clarissimè omnia observaverunt.

Bergâ Variscorum eadem ad me transmisit vir eruditus & fide dignus, amicus noster certissimus, pluribus tamen circumstantiis. Sole jam existente infra horizontem occiduum, globus igneus ad instar stellæ primæ magnitudinis terram versus delapsus est, ita ut oculo sic judicante, urbis domos altitudine tantum adæquaret. Hic spectatoribus paulisper ereptus statim iterum sub lineâ rectâ, baculum vel candelabrum æmulante se stitit: Hanc figuram sæpius alia commutavit, & quidem primo serpentina postea non amplius erecta, sed paululum occidentem versus inclinata. Omnes mutationes horam integram cum semisse consumebant, longiusque tempus sibi tribuissent, nisi nebula, ex proximo flumine assurgente, visui totum phænomenon ereptum fuisset. Aer erat serenus, atque horizon occiduus ante phænomeni apparitionem grato rubore tinctus. Similia Phænomena si desideras, adi Stanislai Lubieniecii à Lubieniec Historiam Cometarum à Diluvio usque ad annum 1665. & invenies anno Christi 457. super Insula Britannia stellam miræ magnitudinis apparuisse, cujus radio gladius igneus, draconi similis, adharebat. Ex ejus ore duo radii procedebant, quorum unus ultra Galliam sese extendebat, alter vero versus Hiberniam tendens in septem minores radiis terminabatur. pag. 88. Et anno Christi 1000. serpentem igneum in aere fuisse conspectum p. 172. Et anno Christi 1180. Cometam, (quo nomine cuncta insolita vulgus denominare solet) in cælo conspectum fuisse, qui serpentem sinuosum representans nunc progrediebatur; Nunc in spiras sese colligebat, nunc cum horrore intuentium quasi

Fig. 2.

N. 1. 2. 3.

N. 4.

N. 5.

N. 6. 7.

quasi inferiores ex alto devocaturus esset, humani sanguinis avidus, vastum rictum aperiebat. Sed cum non ultra diei istius reliquum & sequentem noctem durasset, evanuit.
 p. 222. Si hisce diu immorari vellemus, huc quoque referre possemus Phænomenon illud, ab eodem autore observatum Hamburgi anno 1665. die 16. Julii atque descriptum Theatri Cometici Tom. 1. p. 129. nec non Schickhardi observationem de igne versicolore cœlitus delapso, ut & Gassendi notata Physic. Sect. 3. membr. prior. l. 2. c. 7. p. 108. seq.

Phænomeni Nomen

Præmissis quæ ad historiam spectant, evolutionem ipsam Phænomeni paucis aggrediemur. Et quidem primo nemo negabit, qui vel ipse spectator, vel à spectatori-
 bus relata accepit, meteoris ignitis id annumerandum esse, ceu ex inferius dicendis patebit pluribus. Si vero curiosus quis indagator scire desideraret, ad quam nam speciem referri possit? an trabis vel capræ saltantis, vel alio jam noto meteori nomine insigniendum sit? ei respondemus, nos coactos non esse cuncta ad genera & species ab antiquis constitutas reducere, cum varia causarum combinatione, alii atque alii effectus sequantur. Quid igitur vetat, rebus sic postulantibus, effectibus novis nova imponere nomina? si antiquis liberum fuit, igneam massam Draconis nomine donare, quia quoad figuram cum eo convenit, cur non & illud, quod motu serpentis vel jaculi pyrobolici (*Racketen*) aut jaculi errantis (*Schwermers*) præditum est, nominabimus igneum serpentem aut jaculum pyrobolicum (*Racketen*) aut jaculum errans (*Schwerner*). Nihilominus cuivis liberum relinquimus quo velit nomine id mactare, cum magis sollicitissimi de nucleo & realibus, quam nominalibus & cortice.

So-

Solent vero ejusmodi meteora ignita, ut plurimum *Tempus.*
 tempore autumnii apparere, quia tunc exhalationes in-
 flammationi maxime obnoxiae sunt. Interdum tamen,
 media hyeme eadem observantur, praecipue si pluvia vel
 nebulae praecesserint, quibus durantibus nunquam dec-
 runt calidae & parum siccæ exhalationes; prout etiam ali-
 quot diebus, phaenomenon hoc praecedentibus, partim
 temperata calida, partim pluviosa aut nebulosa tempestas
 revera extitit, ut ita terra ad emittenda ejusmodi effluvia
 maxime disposita fuerit.

Quibusnam corporibus massa haec ignea natales *Materia.*
 suas debeat, certo determinare nequit. Certum est, in-
 terdum exhalationes ex sulphureis & nitrosis locis uni-
 cam eamque adequatam causam esse, interdum vero ali-
 ud quid concurrere. Notaverunt quoque Schickardus
 aliique, post magna incendia visos fuisse dracones igneos,
 aut alia meteora ignita; quemadmodum & illud extra
 controversiam positum esse putant, ex cadaveribus inter-
 fectorum pingves ascendere exhalationes, quae teste expe-
 rientia facile accenduntur, sub variis figuris se nobis si-
 stentes. Cuncta haec hac vice concurrisse non impossibi-
 le judico. Postquam enim tot in locis caemiteria, cada-
 veribus peste necatorum catervatim & turmatim reple-
 ta fuerunt, non parum profecto ad id conferre potuere
 effluvia exinde fluentia. Et forsan eodem tempore hinc
 inde magna extitere incendia, quae vaporibus atque fumis
 sat copiosis, illis initiis notabilia additamenta adjece-
 runt, ut nunc non memorem sulphur atque nitrum in
 pluribus terrae regionibus contentum.

Ex his aliisque corporibus virtute solis & lunae, (nam *Efficiens*
 de reliquorum siderum influxu nondum certi sumus) ut

B

& ig-

& ignium subterraneorum evocatas putamus exhalationes, quæ postea ad miniculo tam externi, quam intra latentis ignis superiora petebant; tandem pervenientes ad secundam aeris regionem (hac ratione Physici ac Meteorologici Atmosphæram dividere solent) à frigore ibi dominante subacti atque ad unam massam redire compulsi fuerunt.

Locus.

Fuisse vero hoc nostrum Phænomenon in media aeris regione constitutum, vel exinde colligere datur, quia non tantum in vicinis locis Naumburgo, Ciza, Gera, aliisque, verum etiam ab his dissitis, Francofurto ad Mœnum, Moguntia, & tota fere Alsatia eodem tempore notatum fuisse ex publicis partim novellis, partim fide dignissimis hominibus percepimus. Si quatuor milliariibus germanicis à superficie terrena remotum fuisset, locis à Jena per $165\frac{1}{2}$. milliariibus distantibus videri potuisset. Verum tunc temporis à tergo Phænomini horizon amœnum plane colorem crepusculantem ferebat, subtus vero nebula surgebat, ut hac ratione ille superiorem aeris regionem, hæc nostram quam inferiorem vocamus, ipsum vero phænomenon mediam quasi indigitabant. Si quis expeditus spectator præsto fuisset eadem Methodo, qua Schickardus laudato libello processit, facile ejus altitudinem, distantiam à nobis, & totam magnitudinem ad calculum revocasset.

*Motus &
Figura.*

Sublatis igitur Calidis exhalationibus ad prædictum locum & à circumstante frigore in unam coactis massam, calor continua accessione tantas acquisivit vires, ut inflammam tandem erumperet: vel materia illa in unum coacta, à notabili mole superata, in ipso delapsu ignem concepit, cum alias extra controversiã positum sit, magnū
mo-

motum inflammationis causam existere; quod etiam maxime probabile judico, quia in ipso casu primum ignis conspectus fuit; Mox tamen in aere iterum substitit, igne gravis illius massæ motum aliquo modo retardante: nimirum ille sursum properabat, hæc deorsum, ita ut ex æqualibus utrinque viribus quies oriretur. Quod vero Phænomenon hoc diu duraverit in causa fuisse videtur materia pingvis ac viscosa quæ aliquandiu resolutioni omnimodæ restitit.

Interim tempore apparitionis ex corpore radius instar jaculi pyrobolici vel potius errantis (Schwermer's) egressus fuit; videbatur enim, ac si ignis subtilissimus hactenus circa centrum reclusus, facta per vim porta eruperit, magno cum fragore, qui tamen à nobis propter nimiam distantiam percipi non poterat, licet alii, præcipue in Alsatia, referentibus id postea novellis, non sine terrore eum audiverint. Quemadmodum vero jaculum pyrobolicum si baculum alligatum habuerit, propter pondus quod à tergo est, per lineam rectam ascendit, sine eo autem si fuerit hinc inde serpentum in morem errat, partim propter pugnam inter gravitatem chartæ aliarumque rerum & ignis motum, partim propter aëris resistantiam; Cui plurimum confert Jacobus Bernoulli Dissertatione de Gravitate ætheris p. 82. seqq. naturam resistantiæ passivæ aeris exemplo duorum luctatorum illustrat eamque certis regulis pag. 89. seqq. alligat. Sic quoque has serpentinatas convolutiones produxit partim conflictus ignearum sursum, ac terrestrium particularum deorsum tendentium, partim aër resistens, in quem incurrebat radius & ab eo iterum reflectebat. Tandem cum sub figura nubeculæ substitit & sensim disparuit, sine dubio ignis præ-

sens se eripuit & terrena, vel ad principia rediere, vel ventorum vi dissipata fuerunt. Simili modo concludere possumus de inferiori Phænomeni parte, quæ varias suas volutationes vel igni avolanti, vel furentibus ventis adscribere potest.

Finis

De fine hujus Phænomeni si quæris? dubito an recte asseratur cum I. Bernutio Theoriæ sacrae Telluris auctore l. 2. c. § p. 201. Hæc meteora arguere mundum hunc suo tempore igne periturum dum scribit: *Cælum hodiernum, nempe aëreum & meteoricum plane aliud est & alterius materiae, & conditionum ab illo antediluviano; exhalationibus calidis & meteoris igneis referuntur hoc cælum, πνεῦμα καυρὸν καὶ πυρρὸν ἕρπονι quibus olim cum tempus adstiterit, cæteris suo ordine concurrentibus mundus hodiernus conflagrabit.* Tota auctoris hypothesis alibi Deo volente excutietur. Commodius ex causis naturalibus responsi loco dari potest, inter alia ad id inservire, ut aër ab ingenti impuritate liberetur. Nam si superius dicta mente recolimus, tunc hæc meteora una cum aliis, etiam exhalationibus, peste infectorum corporibus sublatis ortum debent: quo ipsius aëris nostri magna oritur expurgatio, sine qua exhalationes illorum corporum nostro in aëre remanerent, atque eodem modo ac nuperrimæ quotidianæ nebulae nobis tædio essent. An vero postea venenati illi vapores hac inflammatione puriores reddantur & ab omni veneno liberentur prudentioribus dijudicandum relinquo.

Et sic quidem hæctenus in causas hujus Phænomeni naturales inquisivi, ita tamen ut nullo modo negare velim, Deum & voluisse & potuisse per illud singulare aliquid indicare: Nam licet iris suas agnoscat causas

causas

causas naturales, nihilominus Deus eum gratiæ signum constituit, atque ad ejus conspectum illam in memoriam hominibus revocare voluit. An autem continuationem mali pestilentiæ, minantis belli, vel aliorum malorum portendat, nemo certo asserere audebit, cum hæc soli Deo cognita sint.

Et hæc sunt Lector Benevole quæ nuper ad preces Typographi nostri vernacula lingua calamo volante exaravi. Ex qua, volente ita doctissimo Dn. Respondente, inter concatenatos labores in latium nunc transtuli, id unicum rogitans, ut ea quæ calamus fugitivus hac vice neglexit, benevolus lectoris animus æque interpretetur. Vale!

Finem labori typographus jam imposuerat, cum nobis ab Amico Heidelbergæ nunc degente ejusdem phænomeni observatio, ab Excell. Phys. Math. P. P. D. Leuneschlofs habita, manuscripta transmitteretur, quam in gratiam Lectoris Benevoli hic adponam. *Die 5 Decembr. hujus anni labentis 1682. post horam quartam pomerid. circa solis occasum sub altitudine circiter 60. grad. visus est Heidelb. globus igneus mole sua malum punicum adequans, qui quamprimum ex inopinato exarsit, cum sono aliquo incondito (bombo) disruptus est, ac in aere undiquaque sereno relicta fuit nubecula rubore fere cineritio ad cœruleum quadantenus accedente, sub draconis non alati forma per semihoram spectabilis, quo primo aspectu oculos mentesque ferire, omnium vultus ad cœlos erigere, cives ad spectaculum vocare, plebemque magna superstitione turgidam magno terrore percutere cœpit.*

Ceterum meas qualescunque conjecturas egregie firmavit Vir Excellentissimus, dum inter alia sequentia subjecit: *Hoc Meteorum nostrum magnam cum pyrobolo nostro & ejus generis Δe artificiali cognationem habet, nisi quod istud à latere incensum levetur in altum, quodq; istud motus incremento ignis tardetur, quia ejus levitas motui transverso quadantenus resistit, hoc verò quo magis flammam rapit eo magis in cœlum suo pte motu festinat, quod demum istud non cum tanto fragore in fine dissiliat, quia exhalatio loculamentum & claustra rumpenda non habet, ut quidem pulvis tormentarius charta toties replicata prorsus constrictus in pyrobolo.*

Ignea

Igneæ quæ nobis nuperum spectacula
 cœlum

Exhibuit, doctè tradis Amice.

Sed en!

*Dum Te committis pugnae, nitidissima
 Phæbi*

*Gratatur facies Ter repetita
 Tibi.*

Gratulab. ex tempore f.

Erh. Weigelius, P.P.

At Nobilissimo, ed Eruditissimo

SIGNOR RISPONDENTE

**NEOVIN Amico, Fautor, & Vditor suo
 honoratissimo**

CARLO CAFFA, D. e P.P.

VN Ingegno sublime, e Peregrino ci vien
 nobilmente dipinto d'Alcibiade Lucanini
 sotto la figura del lambicco coll motto, *clara
 quæcunque profert*; & da vn' altro Autore fù
 non con minor eleganza figurato vn Intel-
 letto perspicace che penetra i più difficili ar-
 cani

cani della natura, con l' Aquila che dalla som-
 mità d' un Monte stà guardando a basso, col
 motto *Et profundissima queque*: onde la Mede-
 sima Aquila con l' inscrizione, *nec obscura nec*
ima, ci vien proposta per esprimerci al vivo un'
 animo nobile, e sollevato; Laquale, mentre
 vola à Cielo aperto, portandosi, *per suprema*
per ima ne addita un intelletto vniversale, che'l
 tutto specola, & osserva, contemplando
 Iddio come ente supremo, e considerando le
 creature come cose infime, e segni della sua
 altissima perfettione, e del suo volere. *Deus ho-*
minem induxit in hunc Mundum inspectorem Et arbi-
trum sui, atque operum suorum, nec solum inspecto-
rem, sed enarratorem. Disse al nostro propo-
 sito Epitteto nell' Enchiridio. Il Presente vo-
 stro esercizio, Signor, Amico, e Fautor mio
 honoratissimo, mostra chiaramente adem-
 pite e verificate, del Vostro sublime, profon-
 do, peripicace, & universal ingegno tutte le
 predette figure. Poiche in quello V. S. pro-
 ferisce il tutto con chiarezza singolare; *clara*
quecunq; profert, benche siano di loro natura
 molto arcane e profonde, *Et profundissima queq;*.
 E' quantunque profundissime siano le ma-
 terie, che da lei vi si trattano, non però sono,

nec



40 B 7 61

SS (16) SS

nec obscura nec ima. nè basse nè obscure; ma
chiare & sublimi; con una maravigliosa chi-
arezza, che seco ha congiunta lo splendor
della pietà, e de' costumi; che' mentre rendo-
no la di lei persona molto conspicua, e molto
più celebre, che far non saprebbe la mia lingua;
qui tacio, e resto per sempre

Di V.S.

affettionatissimo Ammiratore,
& prontissimo

per Servirla.

In himilisches Gemüht so Geist in Aldern hegt/
Pfleget sich die Wissenschaft zum Pharus zue-
wehlen/

Und weil der stete Fleiß bey ihm das Ruder regt/
Kann es des Künste=Ports so leichtlich nicht verfelen.
Darff ich Geehrter Freund eröffnen meinen Sinn/
Und was von seinen Thun ich vor Gedancken führe
So sprech ich daß bey ihm ich gleiche Schiffahrt spüre/
Die ihren ganzen Lauff zum Weißheit=Pol richt hin,
Ja die uns zeigt die Spuer zu denen Ehren=Pfor-
ten: (ten/

Ich wünsche Glück zur Fahrt u. sag mit wenig Wor-
Wird Gottes Gnaden=Wind um seine Seegel seyn
So laufft sein Sinnen=Schiff in Klugheits=Hafen ein.

Dieses hat zur Bezeugung seiner Schuldigkeit
gegen seinen großgeneigten Gönner glück=
wünschet hinzu fügen sollen

Theophilus Andreas Hagemann/

Osterod. Grub.

1077 M



R. K. 126, 20.

M.

L V N

M E

I

OTTO

Schm

EN A

R V C E

LXXX.

R V M

M

LXXXII.

NEOVIN

Yc
32

